



462

sumsimus, et post prandium ad quiescendum nos locavimus. Praeterita nocte vigilavimus ad praesepe Domini, et futura nocte iterum vigilaturi eramus ad sanctissimi Domini monumentum. Sequitur

Descriptio Bethlehem.

Bethlehemitana peregrinatione praemissa restat nunc locum ipsum describere: et primo civitatem, secundo locum nativitatis Domini describam.

Bethlehem antiqua civitas olim quoddam nomen habuit, quod Scriptura non (**B**) expressit, non enim invenio, quo nomine vocaretur, antequam diceretur Ephrata. Dicta autem fuit Ephrata ab uxore Caleb, quae ibi est sepulta, quae hoc nomen habuit, ut dicit Mr. in Spec hist. Hanc autem Ephratam, uxorem Caleb, dicunt fuisse Mariam, sororem Moysis, quae, antequam lepra percuteretur, dicebatur Maria, sed post leprae infectionem et sanationem dicta fuit Ephrata, et mortua est et sepulta in deserto Sin, ut habetur Num. 20., quam postea extumulavit Caleb, eamque in Bethlehem, quae nondum sic dicebatur, sepelivit, et nomen ejus civitati attribuit, Ephrata connumerans. Quod autem illa Ephrata fuerit uxor Caleb, omnes tenent, sed quod eadem fuerit soror Moysis, multi contradicunt, ut habet Nicol. de Lyra super 1 Paral. 2., ubi in textu manifeste habetur, Ephrata fuisse uxorem Caleb. S. Jeronymus tenet, quod Ephrata fuerit soror Moysi. Unde dicit in Epistola ad Principiam virginem: Maria soror Moysis victorias Domini canit, et Bethlehem nostram atque Ephratam stirpe nominis sui signat in posteros. Multis ergo annis dicta fuit haec civitas benedicta Ephrata, usque post famem ortam in diebus Elimelech, post quam tanta fuit ibi abundantia, quod nominata fuit Bethlehem, i. e. domus panis. De ista fame et abundantia sequenti habetur Ruth per totum. Beth enim in Hebraeo dicitur domus, et lechem panis. Inde Bethlehem domus panis. Ubi notandum, quod nomina civitatum et villarum terrae sanctae ut in plurimum incipiunt a Beth, quam syllabam sequitur alia, significans aliquam loci proprietatem. Sicut hic Bethlehem domus panis, propter abundantiam

477

475

481

471

486

466

426

376

Ende

Anfang